

Ex-Libris
PODHORCE
AGRY GR.


V
B J
C
392901
392926
Mag. St. Dr. III

HÆRES ULTIMUS

Magni nominis, virtutis, gloriæ, à Viris, à rectefactis, à titulis amplissimam *LASZCZORUM* Familiam DEO ac æternitati consecrans

ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS

JOSEPHUS

IN ŁASZCZOW

ŁASZCZ

EPISCOPUS COADIUTOR KIIOVIENSIS, ABBAS HEBDOVIENSIS.

ARCHI-DIACONUS CATHEDRALIS GNESNENSIS;

Regni, suorum, omnium damnô præmatura morte è vivis ereptus

Posteris ad immortalitatem nominis funebri laudatione propositus à devinctissima FUNDATORI suo Provincia Polona Societatis JESU.

Typis S.R.M. Coll: Leopol: Societatis JESU. A.D. 1748.

Jn Stemma JLLUSTRISSIMUM



Quod deflet, lachrymasq; suas quo Patria lenit
  Gentis in exctinctæ funere; stemma docet.
Murus erat Gens hæc, LASZCI de Gente Leones,
  Hostibus hi terror, Civibus illa decus.
Sed fuerant, non sunt! hos virtus intulit astris,
  Jn cineres isthæc morte redacta jacet.
Sphæra monet: propensa forent si Numina Lechis,
  Debuit æternùm tanta vigere Domus.
Nunc Pilava manet, ditat quam LASZCIA gemma;
  Jnde petent robur Regna, Corona decus.

JNCISORI REGNI
JLLUSTRISSIMO

IN *communi luctu omnium ac ſquallore, unus occurris* Inciſor Regni Jlluſtriſſime, *qui Patriam, qui neceſſitudine conjunctas* ŁASZCIIS Familias, *qui minimam deinde hanc Religionem, propè dolore concidentes ſuſtentas & erigis: Teq; unum, quomodo tempeſtate afflictæ naves ſidus ſuum, Te inquam, ceu rerum afflictarum ſolatium, ceu deploratæ felicitatis noſtræ ſpem unicam omnes reſpicimus. Jacturâ Viri obru-*

ruimur, cui ut sustentanda incumbebat Domus integra; ita hoc cadente tota cō-cidit; eodemq; hoc tumulo sæculorū glo-riam, spes Regni, robur, decora, ingenti nostrûm omnium damnô consepeliri pro-bè intelligimus. Jam ubi ad Te oculos re-flectimus; hanc ipsam, quam extinctam deflemus, huc devolutam intuemur Pro-sapiam: atq; ita, qui cadebamus animô e-rigimur; spes nobis reviviscunt emortuæ; interq; lacrymas inexpectata planè af-fulgent solatia. Idem ipse in vobis san-gvis est, & quomodo fluvii dum in mari desinunt, iidē, etsi mutato nomine, iidē nihilominus sunt, non alii; ita extincto LASZCZORUM nomine, *qui ad vos de-fluxit, idem ipse sangvis in vobis hæret, perennatq;. Quare si collapsæ favemus Genti; hæc certè nullibi potuit desinere gloriosiùs. Domus illi venit pro centro*

glori-

gloriæ: quæ una, Regni instar totius, dignitates omnes in se complectitur: à magnis armorum Imperatoribus formidãda hosti; à Viris Consulibus amanda Patriæ. Se una Senatum integrum, Regni ministeria propè singula, ipsam demum Vice-Regiã Majestatẽ in Celsissimo Theodoro *Primate Regni implevit. Ita* Potocciorum Pilava *in honorum excrevit insignia; ut nullum ex amplissimis, præter Regale sceptrũ desideres: ita ad Majestatem titulis planè omnibus Gens ista effulsit; ut si quid illi de inusitato splendore adjectum exoptamus; unum superest, ut communione sangvinis conjuncta Regibus, Reges ipsa pariat. Nunc certè (ut mittã fatô jam ereptos Patriæ) quatuor è Præsentibus, rarissimô planè Domûs ornamentô, maxima verò felicitate Lechiæ, Palatinas curules occupant Po-*

toccii: Ponſanienſem, Jlluſtriſſimus JOSEPHUS, *ſupremus idem Regni exercituum Imperator; Kijovienſem*, Jlluſtriſſimus STANISLAUS, *Magni Ducis ut Filius, ita virtutum hæres; Volhynensē* MICHAEL, Belzenſem STEPHANUS, *uterq; ut maximum ſui ornamentum nominis, ita felicitatis publicæ firmiſſimum propugnaculum. Miniſterium Regni occupas ornaſq;* Inciſor Jlluſtriſſime; *quē ſibi faſces invident, & proximè alter alteri eripient. Quid ampliſſimas Præfecturas memorem? quot quantiq; recenſendi veniunt!* FELIX Craſnoſtavienſis, EUSTACHIUS Tłomacenſis, MARIANUS Grabovecēſis, JOACHIMUS Leopoliēſis, JOSEPHUS Szczerzecenſis, NICOLAUS Caniovienſis, JGNATIUS Nowoſelenſis, JOANNES Guzowienſis, *ſinguli ad immortalitatem nomini, Regno ad gloriam, Titulis ad ſplendorem,*

Di-

Divino planè munere cõceſſi. Quod ſi etiã quantũ ab iſtis ornamenti derivet honor, quo illi exornantur, prædicare velim, nũ finem aliquando habitura eſſet oratio? Ut vel nomẽ ipſum Palatini Kijovienſis *ſua fortitudine Gentibus finitimis formidandum effecit ſupremus armorum Imperator: Vos rei teſtes Europæ Regna! vos qui victricem ſenſiſtis manum Sveci, Coſaciq;, tu demum, quæ hujus virtute, inclaruiſti victoriîs, hujus conſilio, ſummaq; apud exteros etiam auctoritate, fortunis ipſa ac tranquillitate frueris, grata Patria, teſtis futura ſemper! Jam rectefacta hominum, quibûs iſti inclareſcunt perpetuò, multò minora eſſe deberẽt; ut dici poſſent ſingula. Tua ipſius* Inciſor *Regni* Jlluſtriſſime *immortalia in Rempublicam promerita, tua qua Regni præſidio impensîs ipſe tuis militum copias*

 col-

collegisti, in Patriam munificentia; à Te Mareschallo Tribunalis Regni administrata justitia; tuo sumptu ac opera ad fortunam ornamentumq; Lechiæ illata Kristinopolim Divi Clementis *Martyris Lipsana; alia præclarè gesta innumera, scribendæ sufficerent Panegyri. Quapropter ut* Jllustrissimæ LASZCZORUM *Genti, quod in tanta Domo suæ terminum nanciscatur gloriæ, medios etiam inter luctus gratulamur: itâ Patriæ dolorem planè eximit abstergitq;: quod sua in* LASZCZIIS *non deperdat, sed veriùs commutet decora: vel si quæ in his desiderat, abundè suppletis* Potoccii. *Nos certè Fundatorem non amisimus, sed commutamus. Perspecta nobis tua in aras liberalitas, tuus amor in Religiosos Ordines: exstat hujus perenne monumentum Religioni à Sanctissima Trinitate Brachilovii ædes Templumq; erectum. Tantò verò intimiùs in nos profusa sentimus beneficia, quod & perpetua & propè teneamus innumera. Varsaviense Domicilium, Crasnostaviense Collegium, Torunensis Theologia, Lancicienfis Residentia, Stanislaopoliense Collegium, Nastasoviensis, Liezkoviensisq; Missio. [Sed quid remota adducimus?] hæ ipsæ ædes, hæc Templi ornamenta, hic apparatuum splendor, vestras loquitur, ponitq; ob oculos liberales gratias. Nos, Fundatores, Parentes, Servatoresq; nostros vocamus: quorum vindiciis, favore, munificentiâ, subsistimus, floremusq;. Jta Divino planè provisum est consiliô, ne lacrymis obruamur! tanta lætitiæ seges in tanto luctu omnium! Tu Patriæ suum ornamentum & columen, tu nobis Fundatorem & vindicem, totum denique quem amissum lugemus, in te uno restituis. Hoc adjice ad solatia: utquemadmodum in te tuoq; Nomine immortalitati extinctæ Prosapiæ consultum videmus: ita hanc quæ Nominis ejusdem immortalitati pro nostro in Fundatorem officio debita est, admittas Panegyrim.*

JLLUTRISSIMO Fundatoris Nomini
devinctissima
Provincia Polona Soc: JESU.

ETsi luctuosissima squallentis Basilicæ facies, pompa hæc funebris, cinis ipse, atq; in parvo cinere ingens admodum jacturæ magnitudo, Vestra hæc deinde Proceres è primis in Republica Familiis lectissima, consertissimaq; corona, usq; adeò pectus effodit, ac prope dolore conficit intuentes, ut in tam atroci vulnere accepto, immanis quædam duritia sit, non ingemiscere: nescio tamen an satis deceat funus istud gemitibûs celebrare. Ex Ecclesiæ Principibus, ex amplissimis Regni Senatoribus, è primis Lechiæ Prosapiis, congregata, monumentum istud circumstant agmina; quòd is, quem terris ereptum lugemus, non suo duntaxat, paucorumq;, ùt vixit commodo, ità decessit infortuniô, quòd illi gemmam Pontificum avulsam desiderent, isti Patrem Patriæ optaverint,

hæ ſuum requirant ornamentum: palamq́; eſt vel ex ipſa hac frequentia, in uno felicitati omnium parentari. Neq́; enim multorum dolor é vivis abeuntes comitatur ad tumulum; qui ut vitam protraherent, paucos tenuit deſiderium: Quis quantuſq́; acciderit, ex eo: quot quantiq́; lugeant, conjicimus. Jam funebris iſte apparatus cùm menti, oculiſq́; ſpectantium, murum olim Patriæ, nunc rudera; domum ſemper ampliſſimam uni tandem innixam columini, hoc ſubruto, extremos reſolutam in cineres; à Viris illuſtribus, à meritis, à titulis clariſſimam perpetuò LASZCZORUM Gentem in ultimo demum ſplendore ſui nominis *Illuſtriſſimo Excellentiſſimo ac Reverendiſſimo JOSEPHO* extinctam exhibeat: tantô atrociùs præſentis objectu ruinæ dolorem noſtrum exulcerat; quantò intimiùs acceptæ cladis penſamus magnitudinem. Et verô ſi unum è Familia, cui ſalus publica innixa videbatur, fata nobis eripiunt, nec ſatis temperamus à lacrymis; ſi fructus è ſtirpe nobili, aureus ille ac Regalis fatô excutitur, eſto ſtirps ipſa floreat, perennetq́;, ingemiſcimus; ſi gemma è corona gentis decidit, quamvis ſuperſint aliæ, noſtra nihilominus damna incuſamus; ſidus in auguſta domo velut Cælo quodam eclipſim patiatur, licèt complura fulgeant, fortunæ noſtræ fatale quidpiam ominamur: certè caſus iſte eò crudeliùs in nos deſævit, quod incomparabili omnium damnô tota nobis corona nominis eripitur, ſtirps tota excinditur, domùs ſidera univerſa extingvuntur. Non ſupereſt: in quo ſui parte optima intueamur ſuperſtites, quos deflemus obiiſſe reſtat nemo, ex quo nepotum populos

los

los noſtro ſurrecturos præſidio expectemus: nemo qui ſpes conſepultas ſuſcitet, ſoleturq; lacrymas plorantium. Hoc ipſo eodemq; tumulo Regni cõduntur decora: hoc feretro ſpes publicæ efferuntur: hac urna ſortes Patriæ concluduntur: in uno hoc viro Proſapiæ ſtemmata, Religionis ſplendor, ornamenta Lechiæ, Heròés, Conſules, omnia extingvuntur. O vices noſtræ multò funeſtiſſimæ! tantoq; atrociores reliquis; quòd ità luctu, mæroreq; obruamur, ut nè pars quidẽ affulgeat ſolatii. Quod ſi etiam ad imaginem ſuper tumulum defluentem oculos reflectimus, cùm umbram duntaxat intueri liceat, cujus inconſolabile deſiderium altas egit in animo radices; vultùs majeſtatem admirari, cujus inquilinus dignitate omni animus præſtantior, animus inquam beneficus, manſvetus, rectus, ab omni fuco, & arte longiſſimè remotus, à nobis abierit; cùm Virum, infirma necdum, quæ citò ſuos deſerturum ominaretur: nec illa præfervida, quæ ſpes noſtras in tempus differret: verùm matura ætate, quæ fructus jam porrigeret: firma, cui Regnũ, Eccleſia tutò incũbere poterat, corruiſſe admonet: quos non illa dolores lacrymaſq; provocat? Quid fumoſæ majorum imagines? quaſi ſuo ipſæ parentarent funeri, videndas ſe obiiciunt: nam in quibus eas contemplemur, nullus extat è Nepotibus. Quid buſta, ſtatuæ ſuorum, quos referunt damnis illacrymantia, ut animo conceptum vulnus, virtutum, jacturæq; multiplicis memoriâ exulcerant? Ità ſingula in noſtros dolores conſentiunt; ut quocunq; oculos circumferas, nihil ſe illis obtrudat præter ſquallorem Regni, ſpes deploratas Eccleſiæ, Fami-

liarum detrimenta, pauperum luctus & lacrymas. Atq; ex eo quidquid deflemus, nostra sunt, quæ deflemus, damna: his certè, quos in uno omnes sepultos intuemur, interitus hic non illatus, sed donatus videtur à Superis. Exitus ejusmodi, quem sibi meritò præsentes exoptent, retroactæ invideant, ætates omnes admirentur. Quid enimvero aut gens ista, quā extinctam lugemus, postquam eò pervenit, ut ulteriorem cursum gloriæ posset contemnere, ad cumulum felicitatis suæ desiderare poterat? quā terminum gloriosum perinde, ac progressum habuit: aut quæ sors alia fortunatior Pontifici huic accidisse? quam seriem illam majorum, usq; adeò, ut abrumpitur, terminare laudabiliter. Frequens hoc Prosapiarum infortunium: quòd in ortu illustres, obscurè occidant; admirationi omnium in processu, omnium in exitu contēptui proponantur; nec minùs quandoq; ab ultimo hærede nominis trahant ignominiæ, quàm à prioribus famæ derivârunt. Ità certè propago Æneæ Regia, in Nerone; Constantini, in hoc magna, Sancta in Helena, Augusta in reliquis in Juliano Apostata; Lescorū Poloniæ Principum, in Popielo; totq; aliæ Heroum series, in ignavis; virtute conspicuorum, in sceleratis; Sanctorum, in impiis desiêre. Quare ut plurimúm prosapiis accedit ornamenti, si laude omni florentes decesserint; ità his famæ plurimùm, per quos decesserunt. Neq; enim istos ego in contentionem ausim adducere cum primis Familiarum Authoribus; ut neq; illos, qui navim feliciter solverunt à littore, cum iis qui fortunatam ad portum usq; deduxerint: quod passim faciliùs rerum con-

tin-

tingant initia, quàm eventus. Et verò illi domûs fundamenta jaciunt, iſti ad gloriæ deducunt faſtigium; illis primordia, his immortalitatem nominis debent Familiæ; ſinè illis futuræ nunquam, quod multo optabiliùs: abſq; his deſituræ cum ignominia, quod deteſtandum. Hæc planè gloria eſt non vulgaris, & quæ pluribus conflare poſſit invidiā: ſplendorem gentis, cùm pro mortali conditione extingvi debeat, ita extingvere; ut perennitatem adjicias. Id nos de Pontifice noſtro, qua parte licet vindicaturi à fatis, quem noſtrà intererat habere immortalem, ad poſteros tranſmittimus. Sit hæc aliis laus potiſſima, quòd gloriam derivent à majorib9; huic propria, & ſi modum attendimus, in paucis rariſſima: quòd in ultimo hærede Majores ſui glorientur. Fortunata verè Proſapia! quæ hunc Divino prorſus donatum ſibi munere pro centro gloriæ, in quo ſubſiſtat, acceperit: nam cùm aliquando interitura eſſet, nec quò ad genus interitûs pulchriùs decedere, nec quantùm ad Virum attinet, in quo ſua abrumperetur ſeries, in alio deſinere potuit optabiliùs. Et iſta quidem: non quia lucem aliquam præclaro facinori allaturam confidamus panegyrim; ſed quòd rei magnitudinem ſatis declaratura videatur, fruſtra attentata laudatio. Intueantur hæc poſteri: & ſi favent, gaudeant, quód habuerimus, doleant, quod amiſimus: ſin minùs: noſtro ad ornamentum ævo conceſſum invideant, ſibi propoſitū ad exemplar intueantur & ſtupeant.

Ut omnes in univerſum Proſapiæ [maximè quòd ſua quædam perennitas in ſerie mortalium ſit conſtituta] certum habent definitumq; termi-

num; ita non una omnibus ad hunc deveniendi ratio; viæ planè multiplices, & fermè quot fortunæ viciſſitudines, tot exitus. Vidimus alios, nec ſinè doloris ſenſu memoramus: rectefactorum gloriâ, heroum fortitudine, titulorum luce clariſſimas; & cum maximis majora polliceremur, ſenſim à fortuna deſeri, deficere, extenuari, extingvi vidimus; ut quæ more incendii ſubitò eruperunt, fulſeruntq; ampliſſimæ, tandem in ſcintilla & fuligine deſierint: alias ſolis inſtar illuſtres ſemper, ſemper lucis pleniſſimas æquabilem curſum gloriæ tenuiſſe obſervavimus; & cum ſuam perpetuò mirabamur magnitudinem, maximas demum in occaſu ſuſpeximus. Atq, ex iſtis aliquas doluimus, quòd cum ad unum alterumve nepotem redactas intuemur, quaſi fortunam noſtram inviderent præmaturo funere ſpes nobis fata rapuerint: aliquas in Viris provecta jam ætate ſubſidere, in quibus cumulandis cum nulli planè ornamento, non honoribus, non opibus pepercisſent Superi: Prolem duntaxat reliquîs omnibûs donîs potiorem denegârunt. Et hac quidem ratione ſuos Cælo favores ſubtrahente, ineluctabili quadam neceſſitate dejectæ ad tumulum plurimæ ac ferè omnes inſepeliuntur Familiæ: pauciſſimis hæc conceſſa gloria, ut in ultimo ſui hærede nominis Deo vel felicitati publicæ immolentur. Hoc certè eſt non fato opprimi, ſed virtute conſecrari; non neceſſitate extingvi, verùm in ſingulari facinore ad perennem nominis ſplendorem ſubſiſtere, non quòd produci illa ſeries non potuerit, ſed quòd cauſa Numinis aut Patriæ interire præclarùm putaverit.

Jamq;

Jamq; hic vos ego apello, quibus noſtri hujus Pontificis dotes, virtutes, vita integra perſpecta; vos edicite: audiant poſteri, & fidem habeant rei inuſitatæ ac prope incredibili, quo tandem hic exitu finem, aut veriùs coronam ſuo nomini impoſuit. Illum audio, qui unus ex omnibus præſtantiſſimus, qui virtutis ejuſq; excelſæ admodum non interitùs nomine ſit nuncupandus, qui demũ admiratione Regnum impleverit, venturas ætates impleturus gloriâ.

Age enimverô juvenem ponamus ob oculos, anniſq; majorem virtutem admiremur. Natura hunc finxit ad maxima, in hunc unum ſors naſcendi ornamenta collegit innumera, indoles ſpōdebat ſublimia, virtus quæq; altiſſima poſtulabat. In unum [quomodo in Oceanum, ubi deſinunt, Orbe toto colliguntur flumina] ſangvis ille per tot Heroum venas continua ſucceſſione propagatus, inq; ampliſſimos Regni Senatores pullulans, cum hoc ſæculorum fama, opes corraſæ à plurimis, meritorum laudes, titulorum Majeſtas, ætatum omnium decora defluxerunt. Hìc ſociatæ felici communionis vinculo, corporis animiq; effulgebant dotes: ingenii vis ac perſpicacia ſingularis, quæ adinſtar ſpeculi citra moram, quas objiceres, recipiebat ſpecies; vultûs dignitas, concinnaq; membrorum conformatio, quæ commendationem adjiciebat factis; morum ſvavitas, quæ omnibus reddebat amabilem. Ea verò rerum hujuſmodi erat conſenſio, ut nihil ſplendor nataliũ de modeſtia, nihil formæ venuſtas de virtute, nihil ætas tenera de maturitate, nihil majeſtas de

comitate detraheret. Tot tantiſq; in flore ſtatim ætatis Superi præſidiîs inſtruxerunt! quem parabant: domui quidem ad immortalitatem famæ, Polono nomini ad æſtimationem, Principibus verò Familiis ad ſpectaculum, poſteris ad exemplum, univerſis ad ſtuporem. Quæ tunc jam omnium de Juvene expectatio? domus labantis columen, ſpes Gentis ſuæ unica, terræ delicium, titulorum votum audiebat. Omnium in adoleſcentem convertebantur oculi, & oculis ille quidem, qualis tū erat; animis certè intuentium, qualis futurus eſſet, occurrebat. Grabovecensē intuebamur Præſidem, & jam ampliſſimos illi honores deſtinabamus in animo: in tenera ætate vim facundiæ, maturitatēq; judicii mirabamur, & qualia è curuli daturus eſſet oracula, conjiciebamus: illi maxima, maxima de illo pollicebamur omnes Patriæ, domui verò ſingularî Superum beneficiô conceſſum, qui majorum nomen, ac gloriam illuſtraret, illamq; hactenus interruptam Heroum ſeriem in multas continuaturum ætates, una erat omnium exiſtimatio. Ecce verò... dolor vocem debilitat, & pene intercludit. O ſpes noſtræ fallaces! o vota irrita! ùt opinione noſtra eluſi ſumus! qui ſenſus erat omnium, & quod omnes futurum prope credebamus, ſecus evenit; quod fieri poſſe exiſtimabat nemo, factum. Sed quàm iſta inconſultè! dolori indulgemus, ubi dolor admiratione deberet abſorberi; ſpes noſtras deploramus, ubi Divinam virtutem humana opinione majora operantem, fas erat adorare. Solemne id ſupremo rerum omnium Conditori: quo nobiliores nanciſcatur ſervos,

è Prin-

é Principibus in Republica Viris ſuo admovere obſequio. In hoc verò ſua eluceſcit potentia: cum ea, quæ fidem noſtram exceſſerint, quæ omnem exiſtimationis ſenſum ſuperaverint, quæ nè quidem in mentem cuipiam venerint, inopinatè facta intuemur. Hancnè ego uſq; adeò manifeſtam vim Superûm admirer in Juvene? an Juvenis ipſius ſingularem, ac inuſitatam animi magnitudinem? crederent unquam poſteri, quod dicturi ſumus? niſi noſtrîs id ipſi uſurparemus oculis, Regniq; totius admiratione factum proſequeremur. Eo ipſo tempore, quo nobis maxima de illo pollicebamur, Jlluſtriſſima verò LASZCZORUM Proſapia illiq; communione ſangvinis adſtrictæ Familiæ connubium, quo immortalitati Domûs proſpiceret, expectabant; præter ſpem omnium rebus humanis remittit hic nuncium, Deo ſe dicat, nec non in omne tempus altaris devovet miniſterio. Atq; ità avitæ florentiſſimæ Gentis ornamenta, collecta ſæculis decora, Proſapiam, ſeipſum, omnia, Deo æternitatiq; conſecravit. O mutationem hominis admirabilem! o inſolitam animi magnitudinem! o factū ſingulare, inuſitatum, & quod vel in ipſis vitæ ſanctimoniâ notiſſimis haud facilè reperias. Quæ tunc omnium admiratio? ubi facti fama percrebuit, neceſſitudine ſangvinis conjuncta nomina, primæ Regni Proſapiæ, Regnum integrum rei novitate, nec viſæ aliàs in Principibus Familiis magnitudine virtutis attonitæ; ad nuncium hærere, fidem dictis non adſtruere, dolere demum, ac admirari. Quid enimverò aut tam ſtupendum?

quàm Juvenem non trahi lenociniis, voluptateſq; omnes præfervida illa ætate reſpuere; aut tam heroicum? quàm in hæreditate, fortunaq; copioſiſſima (quæ plerumq; impotens eſſe ſolet) conſtitutum, ſe ipſum, facilemq; ad ea quæ reliqui amplectuntur indolem ſuperare; aut tam deniq; magnum? quàm Præfecturas ampliſſimas, titulos, ſplendorem Domûs cum pullo amictu commutare. Sed minora, admiratione abrepti, proſequimur; majorum obliti. Etſi enim fortunæ oblectamenta vincere, teneræ ætatis impetus frangere, delicias proterere, ſunt hujuſmodi: quæ inter excelſi cujuſdam animi argumenta reponantur; ſunt nihilominus, qui hanc ſibi laudem vendicent quàm plurimi. At inſitum à natura amorem propagandi nominis reſtingvere, gentem integram, cum ad te unum ſit devoluta, Dei causâ tollere, ariſq; te totum unà cum ornamentis Domûs immolare, hoc demum eſt, quod ut in paucis memoratum legimus; itá altioris cujuſdam ordinis virtus iſta, ac ſumma quædam animi fortitudo, ipſiuſq; naturæ ſingularis victoria ſit apellanda. Cui enim obſcurum eſt? ut amor hic, cum vita homini innaſcitur, cum ſangvine inſtillatur, ut difficilè comprimitur, compreſſus etiam reviviſcit, ac ferè primò nobiſcum emoritur. Horrent ſingula ſui interitum, atq; adeò ſensûs etiam expertia, quo ſe vindicent áb exitio, ſuo latè diffundendo generi relicto ſemine proſpiciunt. Ignis ipſe, quem corrumpendis reliquis natum novimus, tantum abeſt, ut ſe ſeipſum abſumptum velit; quantum abſumit omnia, ut ſe progi-

progignat ex interitu. Amans eſt ſui multò plùs cæteris animantium indoles, utq́; ſuam contempletur imaginem; in Prole ſe exoptat effingere. Phænix [quod dictu mirabile] cum ſolum natura reliquerit, certiſq́; vitam terminis circumſcripſerit; quô ſuum perpetuò producat ordinẽ; intimo quodam amoris ſenſu raptus in progeniem, fatalem, ut fertur, rogum ſibi ipſe excitat, ipſe in flammas ſe conjicit, patiturq́; redigi in cineres, ut vel ipſa morte vitam inſpiret alteri. Quid porro homines? qui & ſecuritati nominis fortunarumq́; proviſuros ſe intelligunt, quòd timeantur, qui poſteros relinquunt honoris bonorumq́; ùt Succeſſores, ità vindices; & cum pro humana conditione mortales ſe exiſtimant, nemo eſt, qui non vitam, ac etiam immortalitatem quãdam in ætates exoptet producere; parte ſui victurus in poſteris, poſtquam ex parte in cineres deſierit. Quod ſi publicæ felicitati nata, florenſq́; ſit propago; hanc, ſi labantem, ac proximè ruituram videant; ut ipſi etiam extranei perennem vellent, ut illos etiam quibus nulla nominis, ſangviniſq́; eſt neceſſitudo, tangit miſeratio: tumet ipſa luculentiſſimum rei documentũ es Polonia. Repete memoriâ: cùm Principem Piaſtorum ſeriem in Caſimiro Monacho Cluniacenſibus jam inſepultò clauſtris interituram adverteres; cùm Regiam Jagellonum Stirpem in Vladislao extinctam, in Joanne Caſimiro duntaxat, illo Numinis adſtricto obſequiis ſuperſtitem obſervares; quæ non conſilia à te inita? quæ non impenſæ ſuſceptæ? quæ legationes? quæ curæ? quæ

quæ ſolicitudines? ut ultimi è ſangvine ex umbris Religioſis ad ſolium, prope à morte ad vitam revocarentur: qui Regno deinde darent poſteros, votaq; omnium coronarent. Jam ſi illos quoq;, qui nihil de ſangvine participant, ubi ornatiſſimam Domum quampiam inclinatam ad interitum adverterint, dolor exſauciat; quantum ii vulnus referunt? quibus idem ſangvis, nomen idem, conjunctio arctiſſima. Ut verò ipſi etiam Domum ſuam ſubruant, prorſuſq; deleant, quis iſta non dico ſpe præconcipere, ſed ſi facta audiat, fidem poſſit adſtruere.

Quapropter ſingulare illud ac illuſtre facinus LASZCZ illuſtriſſimi, quoties intimiùs nobiſcum ipſi expedimus: toties, ut de ſua natura triumphaverit, ut virtus illa tot obſtaculis retardata non eſt, admiratione abripimur attoniti. Nimirum recurrebant frequenter animo innumeræ Heroum imagines, quæ hunc obliviſci domeſticæ laudis non ſinerent; quæ dies noctesq; commonerent: ne ſis exitio, à quibus ipſe traxiſti originem; vitam tibi inſpirârunt, per te fac vivant in poſteris. Obverſabatur oculis Domus magnitudine ampliſſima, ornamentîs copioſiſſima, antiquitate facilè prima, ætatum omnium famâ laudibuſq; celeberrima: dolorq; erat momento perdere, ſuper quo ſæcula laborârunt. Redibat in mentem amplitudo propaginis in plures quaſi diviſæ palmites, in TUCZAMPSCIOS, LASZCZOS, NIELEDEWSCIOS, OBROCIVOROS virtute tituliſq; Domos florentiſſimas, totq; ac tantas Familias, quibus ille unus ſuccollandis ſupererat, u-

nà

nà perdere, perquam luctuosum videbatur. Quid augustæ Prosapiæ decora? [quorum hæc velut Parens, ac fons quidam uberrimus, semper extitit] ùt totum in se suiq; amorem rapiebant? ùt animum ad se tuenda, servandaq; perpetuò inclinabant? ùt flammam, quam Juvenis è Cælo hauserat, suo fulgore restinctura putabantur? Stemma vidisse suffecerit; ut in eo, quasi brevi mappa, Domûs magnitudinem contempleris. Avitæ hoc virtutis symbolum, rectefactorum imago, meritorum præmium, nota, discrimenq; Familiæ, quâ, à natura, indole, quibûsve præsidiis sint instructi, quibus in Regnum promeritis effulserint, quo demum LASZCII à reliquis distingvantur, hoc proponit. Domum repræsentat ceu quoddam antemurale Lechiæ, quot Viros nactam, tot leones, à robore animi formidandos hostibus, ab indefessa pro legibus vigilantia amandos civibus; quid ad nominis amplitudinem augustius? domum belli celebrem eventibûs, fortunatam triumphîs, splendidam Regni ministeriis, ornatam trabeis, sagô & togâ inclytam, quid ad famam nobilius? ex qua Heròés bella, Patres Patria, ornamentũ Ecclesia, Legatos exteri, securitatẽ, fortunam, gloriam Respublica derivavit, quid ad commendationem illustrius? Libet aliqua ex innumeris excerpere. Joannem Succamerarium Podoliæ, Zyncoviensem Præfectum, virtus bellica porrexit monumentis, hæc nobis, nos posteris. In quo quid primùm prædicem? aut quid admirer potius? animi fortitudinem, quâ hostiles fregit impetus, an amorem Patriæ? pro qua murum se opposuit;

 fortu-

fortunam bellicam, an viciſſitudines? partas de hoſte victorias, an exitum? Ternam hic de Scythis reportavit victoriam, ter à Regno avertit perniciem, ter hærentem perpetuò populorum animis inſigni facinore metum exemit. Quodſi ad felicitatem Poloniæ advertimus, tantum erat, ut illi libertatem Lechia, Reges gloriam, tranquillitatem cives, accepta debuerint. Si ad promanantem ex hoc æſtimationem Viri attendimus, tantum: ut præclarè geſtis pro meta ſtatui potuerit. At quo non erumpit ardor animi: quo hic in bonum publicum ferebatur? reſtingvi neſcius, niſi ſuo ſangvine, ceſſare à laboribus, donec aut vita deficeret, aut hoſtis. Tandem verſâ belli aleâ victima felicitati publicæ hoſtili ferro cecidit; dubiumq; reliquit: cum hoſtes victor cæderet, an cùm ipſe cecidiſſet, glorioſior? quod plurimum de fortuna participet victoria, alterum illud virtuti totum debeatur. Certè fortitudo hæc ità à Romanis habita: ut illam ſtatuîs coluerint, coloſſis honorârint, in imaginibus ad exemplar reliquis propoſuerint: ita ab hærede virtutis ac ſangvinis Samuele Jlluſtriſſimo Excubitore Regni; ut hanc in illo ſuſpiciens vivens optaverit, moriens inviderit. Et quoniam ad hunc devoluta eſt dictio, prætereatur ſilentiô memorandum facinus Lazari Venatoris Belzenſis Præfecti Tiſżovecenſis: cujus invictam animi in propugnanda arce magnitudinem tentari poſſe probarunt Scythæ; frangi non poſſe divulgarunt. Magnum id ab hoſte ornari encomiis! qui tantùm dicit, quod extorquet veritas, & quod dicit, dixiſſe dolet. Re-

tice-

ticeatur factum Alexandri: quem ad Tczovum fusus, deletusq; hostis expertus magnum, majorem fatis singularis felicitas declaravit. Equum hic in æstu bellico amiserat [actum erat de Heròé!] loricam globus trajecerat [quis sperasset incolumem?] fortuna servavit illæsum; quod Patriam in Viro salvam voluerit.

Unum è Heroum serie Samuelem Jllustrissimũ ad splendorem domûs adferre suffecerit: qui si vel in obscuram, & abjectam Familiam incidisset; eam unus virtute sua illustrare, & ad summum dignitatis culmen poterat extollere: Jllustrissimâ veró & splendidissimâ natus, tot præclara edidit facinora: ut non minus ipse lucis ac dignitatis majoribus suis attulisse, quàm ab illis accepisse videatur. Hunc tot ad bella præsidiis natura cõmuniverat; ut quem incredibili animi fortitudine, infractâ audacia, ingenio singulari instructum videbamus; in eo constitutum sibi Cives præsidium, sibi paratum hostes exitium intelligerent, semper illi securi victoriæ, semper hi certi de clade, quoties iste conflixisset. Nobis etiam silentibùs heroicæ illius virtutis, felicitatisq; testes Kumeyki, Borovicia, Zołninum, Holtevia Starecum, ut armatos in Regni perniciem Scythas, Cosacosq;, hostem truculentum, barbarum, perinde de vita, ac anima nihil solicitum, multò minore exercitûs sui numerô, virtute certè multò maxima, in consilio vires, robur reponens in stratagemate, dissipavit, fudit, profligavit, deprædicant. Atq; ex eo sui discernebantur triumphi ab aliis: quòd non unâ, sed geminâ fortitudinis

ac ingenii gloriâ inclareſcerent. Paſſim belluarum more geruntur bella, in quibus, viribûs duntaxat, non ratione confligitur; hunc accinctum ad prælia magnitudo animi, nullo metu concuſſum pectus in evitandis inſidiis, in ſtruendo ſtratagemate, conſilium ſingulare, comitabantur, deſcendentem ex acie, gemitus hoſtium, acclamationes populi, immortalis fama nominis ſequebatur. Ludus illi fuerunt prælia, ſtrages hoſtibus, quorum, cùm hic ridet ferociam, magnanimitatẽ illi, ac ingenium formidant, ſæpe victoriæ ſpe præconcepta, victi; ſæpe, cùm mali ſperarent nihil, malis obruti; ſæpe, cùm inſidias declinarent, inſidiis implicati. Audivimus celeriùs ab illo pugnas victoriâ terminatas, quàm alius inchoâſſet; ibi fugantem hoſtes, ubi in fugam ſe conjecturum opinabamur, illic demum triumphantem, ubi alius cecidiſſet. Quare vel nomen LASZCII adverſæ execrabantur acies, tantò glorioſius, quò ſibi plus inviſum: quòd inſtar fulminis vix inſonuit, exanimabat metu. Et Viri quidem iſtius magnitudo totam impleret panegyrim, ſi amorẽ etiam Patriæ, quo hic exæſtuans, fortunas, ſangvinem, vitam incolumitati publicæ conſecravit; laudibus exornare conſtituerem. Neq; enim è Regni ærario conſcripſit militem, aut huic ſtipendia numeravit, ſuîs favebat reditibûs: tunc ſe felicem exiſtimans, cùm remotam ab infortunio videret Poloniam. Sed iſta Senatoris calamo ſcribi meruerunt: inter Viros, quibus ſua glorietur Patria, Hector hic noſter ab Jlluſtriſſimo Paulo POTOCKI Caſtellano Camenecenſi refertur, lau-

datus in caſtris à Milite, in aula à Proceribus, à Rege demum publicæ ſalutis defenſorem, ac vindicem prædicante. Et hujuſmodi heroicæ virtutis documenta hominesq; bellica inſignes fortitudine tot ego prædicandos haberem, ut ex his luculenter conſtaret: domum iſtam feraciſſimam Heroum fuiſſe Patriam, dignam repertam, in qua ſedem Mars figeret, armîs ſtructam, armîs etiam in altum gloriæ evectam. Verùm plura longè alia, illaq; ampliſſima proſapiæ iſtius decora ſpectanda ſe obſiciunt. Quorum ſingula recenſere velim, quot Viri per fidem hominum! qua fidelitate in Reges, quo amore in Patriam, qua liberalitate in Deū, æquanimitate in omnes dicendi veniunt? Sua Palatinatus ornamenta ponunt præ oculis Nobilitatis Principes, authoritate ſummos, dexteritate in agendo mirabiles, vi in animos ac corda Civium ſingulares, utrumq; Joannem Belzenſem alterum, alterum Podoliæ Succamerarios; illoſq; ùt ſcutum, ùt fortunam, ùt robur, ſalutem, omnia, ſuæ Provinciæ deprædicant. Obtrudunt Atlantes ſuos Regni miniſteria SAMUELEM Excubitorem, JOANNEM Inciſorem, MARTINUM Secretarium STEPHANI Regis ac Reipublicæ immortuum obſequio ad immortalitatem nominis; illoſq; periclitantis Lechiæ ſidus fortunatum, labantis columina, diſtractæ in partes unionem loquuntur, ac deſiderant. Repræſentat ſua Senatus oracula: in Alexandro Belzenſi Palatino, iterū iterūq; in Alexandro Czernenſi, Sigiſmundo Lendenſi Caſtellanis, illoſq; Regibus datos ùt Conſules, Patriæ ùt Patres, publicæ

 blicæ

blicæ felicitati ùt authores vindicesq; promulgant. Proponit Ecclesia, Græco-Uniti ritûs Leopoliensem in Macario Episcopum, Canonicum Luceoriensem in Samuele, Gnesnensem Archi-Diaconum Cracoviensem Lovicensemq; Canonicũ in Martino, quem nisi fatiscentem laboribus præmatura morte in ætatis flore ad se rapuissent Superi, gauderet Episcopo. Atq; ità ubi tanta dicendorum seges, planè quid dicam potius, non reperio. Illos certè, per quos fama Lasztiani nominis (postquam jam inde à Domûs incunabulis rectefactorum gloriâ Poloniam, finitimas gẽtes terrore impleverat) longè tandem lateq; Europâ universâ pervagata est: Legatos inquam ad Reges Principesq; exteros citra injuriam præterire nequeo. Grande id munus! quòd in uno totius Regni majestatem reponat: perquam arduum! quòd in eo fortuna vertatur omnium: Virosq; res ista postulat: qui & pro sustinenda suæ gentis authoritate; naturæ virtutisq; ornamẽtis quàm maximis effulgeant: & pro rerum, quibus publica nititur felicitas gravitate; consiliô, dexteritate, vî ingenii ac eloquentiæ singulari sint præditi. Quos ego, si tanto pares officio vires adferant, primis maximisq; honoribus aptissimos; si hanc Provinciam sibi impositam pro dignitate sustineant, amplissimis cumulandos ornandosq; præmiîs judicarem. Id genus verò homines è Lasciis, PETRUM Litinensem Præfectum; quà ferrô, quà eloquentiâ strenuum ad Principes Pomeraniæ delegit ablegavitq; Patria: STANISLAUM autem & JOANNEM: ut ille

Ste-

Stephanum Bathoreum throno, hic ANNAM Principem, ſuam Stephano Coronam, ſolio Reginam daret. Ea porrò laude hoc functi munere: ut illos quidem ubiq; comitaretur amor & admiratio: Poloni verò nominis gloria per hos inveheretur ad exteros, fortuna inferretur Regno. Tot tantoſq;, belli ac pacis laudibus inſignes, pro dignitatum rerumq; tractandarum varietate, variis multiplicibuſq; inſtructos dotibus, in omni caſu ſuſtinendæ pares Reipublicæ, huic ad præſidium, tibi ad ornamentum gens iſta Viros protulit! Adde quæ huic unà cum ſangvine communicata ſunt decora TARŁONES, WIELOPOLSCIOS, LIPSCIOS, BEŁZECCIOS, USTRZYCCIOS, GRANOWSCIOS, RADECCIOS, KOMOROWSCIOS: quæ de Łaſzciis per titulos legenda nomina: MARIANNA POTOCKA Palatina Smolenſcenſis, Parens Conſortis Jlluſtriſſimi Inciſoris Regni, FREDROWA Caſtellana Czernenſis, Czerniechovienſis Caſtellani Mater, Avia Jlluſtriſſimi Alexandri Fredro Premislienſis Epiſcopi. AGNES DĘBOWSKA Palatina Bełzenſis, quas iſtæ Proſapias qua titulorum luce, quà amplitudine inſignes, ſuæ colligarunt Domui? Quodſi etiam ad Jlluſtriſſimam ELISABETHAM MODRZEWSKA Palatinam Bełzenſem oculos reflectimus, Magni hæc Theſaurarii Regni Filia, proles de Domo ultima, univerſa ſtirpis ſuæ à rectefactis auguſtæ, à titulis Jlluſtriſſimæ, à neceſſitudine cum LESZCZYNIIS Regiæ, ornamenta huc congeſſit: huc, quē ex Jlluſtriſſima URSULA KRASICKA Caſtella-

na Premisliensi Parente sua traxisset splendorem, refudit: huc KORNIAKTORUM Familiæ decora omnia, ex ultima hac de gente, sua Avia sũpsit, intulitq;. Et hanc Tu Domûs tuæ lucem (Te Pontifex Jllustrissime, quem præsentem desideramus omnes, cum lugemus absentem, te alloquor) hanc tu Domum, tot Viris inclytam, tot rectefactîs celebrem, tot titulîs, tot collectîs undiq; luminibûs effulgentem, atq; in unam tot delapsas prosapias non dico ruentes siccîs poteras intueri oculis, verùm ipse subruere: nec vi ac necessitate compulsus subruere, sed volens libensq;. Non te insitus à natura amor nominis, non fulgor hic tanti splendoris, non exantlatæ vires, vulnera, sangvis, quem Majores tui illustrandi amplificandiq; sui generis causâ fuderunt, à sancto hoc, lacrymabili certè instituto revocarunt? O ultra humanam hominis magnitudinẽ! o virtutem heroicam! & quæ una, pro ultima quasi corona illustrium heroicorumq; operum Domui huic frequentium venire debuerit! Reliqua enim ab his præclarè gesta etsi magnitudine summa, multitudine innumera, magnanimitate fuerint singularia, nihilominus aliquam sibi duntaxat fortitudinis partem videntur vendicare; at hoc factum, de quo loquimur, totum animum, totas vires, totum pectus ac robur, totum deniq; Virum postulabat. Illis cum hoste, huic pugna erat cum sangvine; illis cum alieno, huic cum suis, secumq; ipso; illi quæ vi & armis debilitari ac frangi possunt, impugnabant, iste suam ipse naturam frangere, ac superare debuerat; il-

li

li ut à pernicie Patriam vindicarent, nominiq; ſuo gloriam adſtruerent, iſte ut gentem ſuam perderet, ſplendoremq; nominis omnem extingueret, contendebat. Plurimùm hæc inter diſcriminis intereſt, multôq; aliud diverſumq; robur res iſtæ poſtulant: heroica ſunt illa, hæc planè Divina opera; illa hominibus conſveta, iſta in iis etiam qui virtute ſupra homines ſurrexerint, inuſitata admodum & rariſſima. In hoc tandem tam præclaro facinore finem immortalium geſtorum fecit, non fatô hominis extincta, ſed virtute, quæ extingui nequit, æternitati Domûs cōſecrata, Sacerdote illam dicante Superis, immolante altaribus. O finem ſanè glorioſum, exitum ſingularem! tantumq; multis conflaturum invidiæ, quantum admirationis omnibus attuliſſet. Et hæc quidem litata Deo hoſtia, ſi brevi ad ſummum temporis abſolveretur intervallo? at verò multa annorum ſerie illam repeti oportuit, quæ uſq; adeò Superis placuiſſet. Quò enim oculos aut mentem Pontifex defigeret, unde non ſtatim admoneretur de ſuæ exitu Familiæ? amorq; ille ſangvinis reviviſceret, cum quo, ceu cum hoſte poſtquam vires profligatus recollegit, iterum luctandum erat. Quoties illi, jam Parentis Jlluſtriſſimi Avorumq; imagines domeſticis affixæ parietibus, jam rerum ab his geſtarum recordatio, ædes ipſæ omniaq; alia ſucceſſione ab illis dimanata, dolorem vulnuſq; infligebant? quòd perdiderit, quos immortales eſſe oportuit. Quoties, ſi quam florere propagariq; Familiam videret, illico extinctæ ſpecies recurrebant animo, ut

mihi quidem virtus ista admirabilis ac perpetua videatur, atq; id circo voluisse Superos, non claustris abditum, sed suam ipsius domum incolentem; non ab hominum consortio remotum, sed inter Proceres continuum; ut tot offerentibus se occasionibus, sæpe Domus recurreret, iterum atq; iterum immolanda Numini, renovaretur virtus, repeterentur victoriæ.

Ac mihi quidem virtus ista, usq; adeò heroica, inusitata, perpetua, non tantum admirationis Regno sæculisq; omnibus allatura videretur: si ad se amplectendam è rebus humanis quidpiam Juvenem incitasset. Verùm quid ejusmodi vel cogitari potest, quod in amplissima fortuna positum, spe maxima erectum, in tanta felicitate constitutum, ut sacris hic initiaretur, permovere potuit? Num ut è Sacris reditibus ditesceret? auri, ut ajunt, sacra fames impulit? at tot ille bonorum hæres, ut ditare etiam posset cæteros: an quôd purpuram alia ratione habere non potuit, nisi pullam togam indueret? at amplissimâ tunc præfecturâ ornati Juvenis (etsi dotes non respicias) vel ipsi nomini debebantur maxima: an infelix quispiam rerum successus? at è sententia cedebant omnia. Sed quorsum ista? dicendum est tandem quod sentimus. Erat, erat illi calcar acerrimum, quo admoto non currere, non multîs difficultatibûs impeditum iter arripere, indoli etiam ætatiq; contrarias propensiones non proterere, innatam vim amoremq; nominis non abrumpere, non potuerit. Non tanti erant universæ Domûs ornamenta, non hujus

jus immortalitas; non promanatura in Patriam bona, ex producenda in ætates virorum serie; ut huic prævalerent. Atq; ut rem hanc evolvam pleniùs, permittite oro: à Juvene ad infantem redeamus; factumq; de illo, quod nulla non miretur, recolatq; posteritas, repetamus memoriâ. Prolem hanc exoratis Superîs Parens Jllustrissima ut suscepit, jamq; aula suæ ferè lætitiæ impos gestire tripudiîs, hæredem gratulari omnes, necessitudine verò sangvinis conjunctæ Domus incredibili quodam voluptatis sensu perfundi: ecce tibi primò natus, luciq; vix infans expositus quo se Progenitores sui supra modum recrearēt, inopinatò extingvitur: ut non tam datus terris, quàm ostensus videretur. O diem illum perquā luctuosissimum! ut versa in luctum solatia! ùt planctu resonare ædes, obrui lacrymis familia, dolore Parentes prope concidere. Sed non hæc ego persequor, ad consilium advertite, factum miranimi! consilium inquam, quod dictavit amor, spes amori subjunxit, spem animo injecit Deus. Erat antiquitùs Prosapiæ huic in amoribus imago Divinæ Matris Virginis, ad quam illa supplex sæpiùs accedere, deferre cultus, opem implorare, atq; etiam optatîs frui consveverat. Ad hanc Infantis emortui deferuntur exuviæ, aula tota humi prosternitur, precibûs, suspiriîs, lacrymîs vitam implorat: mirum dictu! ad vitam redit Pusio. Mitto lætitiam, admirationem, præsagia, quibus utinam tunc interesse liceret! id certè à vobis audirem, quod nunc à me audituri estis. Quid enimverò [vestram hic ego quorum hæc

teruntur manibus exploro mentem) quid portendebant ista, facta de infante, usq; adeó mirabilia; quin ipsa miracula? quo collimabant? quid spectabant? Prodigiosam certè vim suam Deus non exerit, nisi gravioris momenti ratione inducatur. Atq; utinam profano hìc Oratori fas esset per sacra exempla discurrere, [neq; enim alia suppetunt, nam quibus vitam prodigiosè inspirarunt, hanc sibi dicatam voluerunt Superi) consecratos utiq; Numini videretis, qui hujus ope lucem hanc aspexissent; miraculô natos, admirationi fuisse: præter morem vixisse hominum, qui præter morem vitæ sumpsissent exordia. Jamq; mihi videor dicendorum jecisse fundamenta, tantoq; vehementius virtus, de qua loquimur, restat prædicanda: ut audiant, qui cum præter hominum consuetudinem, opinione sua majus quidpiam acciderit facti causas investigant curiosius, atq; inde subortam temerè suspicionem, ut certam vulgare rem, alii pro indubitata accipere, ipsam sanctitatem vitii labe deformare consueverunt. Secũ ipsi recogitẽt: ultimꝰ fortunarũ nominisq; hæres, ut se suamq; prosapiam consecret altaribus, res est perardua & quam difficile impetrare possis ab homine. Id verò in ætatis progressu à Juvene (quem admiramur] cum vellent Superi; Quid consilii? amorem innatum erga suos ut extingveret, infantem è vivis sustulit; Parentemq; Divinam, seq; Patrem Deus substituit: ut vitam dicaret aris, illam quam deberet Parentibus, subtraxit; quam Numini se debere intelligeret sua virtute Cælum obtulit. Ita hunc à teneris ad ma-

gna

gna diſponebat Numen, jam inde à cunabulis quid de illo vellet in poſterum declarabant prodigia, & quemadmodum ex jactis in tela lineamentis imaginem, qualis futura eſt, conjicimus, ita è vitæ primordiis, qualem in ulteriore curſu habere exoptârunt Cælites, concludere poteramus. Voluntas hæc de illo erat Superum, hæc eluceſcebat in infantia, illa trahebat juvenem, hæc prævalebat omnibus, hanc amplexus. Deus erat ùt tantæ virtutis author, ita ſtimulus, illi Sacerdos, illi factus victima, Domum, quam ſubruit, huic immolavit, illi ornamenta nominis, perennitatem decorum, omnium ætatum gloriam, de ſe tandem, ſuaq; ipſius natura heroicas, continuaſq; victorias illi conſecravit. Quod cum ita ſe habeat, relinquo admirationi ſæculorum, cum ex ſe, tũ ex ſui cauſa virtutem uſq; adeò inſignem, excelſam, ſingularem: ego, quantum Jlluſtriſſimæ LASZCZORUM Proſapiæ propenſa fuerint Numina, adverto: quòd ne miraculis quidem pepercerint, ut in tam glorioſo facinore decederet.

Enimvero cogitate animis, ad unum hunc devoluta, ſi in Infante, ut evenit, vel certè in ulteriore quidem, tenera tamen ætate, extincta atq; cum eodem conſepulta fuiſſet Familia: quid illa laudis ex hoc exitu decerperet? nihil planè, niſi luctum & lacrymas, quibûs ſpes præreptas deploraret. Perquam triſte nobis foret illa ſpectaculum, quodq; doloris plurimum, admirationis nihil, nihil adferret gloriæ. Caſus vulgaris eſſet, non inſolitus; ac pereundi genus commiſeratio nem duntaxat moveret; quòd ſine laude decede-

rent, qui tam laudabiliter floruerunt. Verum gloriosius aliquid ac multò optabilius optimè de nobis meritæ genti permittamus. Perrexisset vivere Pontifex Jllustrissimus, longamq; annorum seriem impleret meritis, honoribus distingveret, neq; tamen, ut erat, Pontifex, ne sacerdotio quidem initiatus (ità fingamus animo) quin propagando prospecturus nomini sociam vitæ sibi deligeret, prolem exoptaret; disponentibus tamen Superis è vivis absq; nepote discederet, quid hinc famæ referret Prosapia? ex glorioso vitæ progressu non inficior abundè in hanc ornamenta defluerent; verũ quod illud ex abitu? Superos fortè incusaremus quod denegarint progeniem, virtutem certè miraretur nemo, quia necessitate depressa, non voluntate hominis Domus rueret. Atq; hunc inter quem cogitamus, ac præsentem, quem admiramur intericum, tantum interesset: quantum inter Reges illos, quorum aliquos prædicamus, quod sponte sua Regno se exuerint; condolemus aliis, quod vi aut armis oppressi eodem sunt exuti. Tantùm occasus hic splendoris præsefert, ut quo nobilius præclariusq; nomen effulgeat, alium ne cogitare, ne fingere quidem, venit in mentem. Nam esto Vir è Gente ultimus occumbat in acie, mors licèt ipsa fortitudinem, ac amorem spiraret Patriæ, virtutisq; gloriaretur nomine: communis illa tamen cum gregario, felicitatisq; publicæ, non causâ Numinis suscepta: tantoq; virtute hac præsente inferior, quod ista & Superum gratiâ acciderit, & haud facilè spectandam se offerat in aliis. Sed fuerit bellum illud sacrum, in quo Numinis honor verteretur, interim

qui

qui caput objeciſſet diſcrimini, ipſeq́; corruiſſet hac ſpe erectus certamen iniverat: quod vitam, quod integritatem familiæ, illamq́; auctam gloriâ exportaturus eſſet ex conflictu: hic ſpes etiam cum Proſapia, ac ſecum ipſo unà Cælitibus conſecrantur. Tantus taliſq́; eſt Jlluſtriſſimæ LASZCZORUM Gentis exitus!

Jam cum iſthæc ex Juvene, quæ vel à Viro difficile ſperare poteras, in Proſapiam promanârunt decora: quid in ætate ùt annis graviore, ita meritorum multò feraciſſima ſplendoris adjectum nomini expectamus? Mihi equidem priora animo recolenti, horum æſtimatione vileſcunt reliqua: ac planè piget in virtutes alias inquirere etiam præſtātiſſimas. Dicenda tamen aliqua ex innumeris, ſtrictim attingenda, quorum ſingula implere poſſent panegyres: ut poſtquam quo ad rationem interitûs Domum hanc decedere glorioſiùs non potuiſſe vidimus; nec in viro alio LASZCZORUM ſeriem abrumpi potuiſſe optabilius videamus. Sed undenam exordiar, in tanta dicendorum copia? aut quid vos à me potiſſimum prædicandum expectatis? Titulos quibus hic effulſit, & qui huic imminebant, ad calculum me revocaturum arbitramini? Magnum hoc equidem opinione omniū, & quod paſſim ſingulariùs exoptant Proſapiæ, ut occaſum habeant in Jlluſtriſſimis: non tamen eſt ejuſmodi, quod ceu ſingulare de Pontifice iſto prædicemus: quaſi non aliis præditus ille fuerit ornamentîs; niſi iis, quæ in ipſos etiam barbaros ſuperſtitioſoſq́; homines liberaliter interdum Superi cōgeſsêre. Etſi enim dignitates ex eo: quod publicū

 ſint

ſint meritorum teſtimonium, commendationem maximam homini concilient; id nihilominus illis potiſſimum conferre videntur, qui ex humili, virtutis ſuffragiô, in ſublime emerſerunt: in iis certè qui ampliſſimîs orti ſunt natalibûs, non ſi ad honores attolantur, ſed ſi hos deſpexerint, admiramur. Ut enim id genus viris, quos majorum merita, fortunarum copia, ſplendor natalium, ac nomen ipſũ ad honores promovent, & facilè, & conſvetũ eſt fulgere titulîs: ità arduum, & perquam inuſitatum in illa amplitudine ultro ſe obtrudentes faſces reſpuere. Quare prædicent alii (per me licet) ut ſuum Gneſna attollebat Cancellarium, ut poteſtas Vice-Regia Tribunali Regni Præſidentem exornabat, ut Hebdovienſes Inſulæ Abbatem ambiebant, ut Chelmenſes violæ ſuum decorabant Suffraganeum ut Kijovienſis Cathedra ſuum Paſtorem expectabat: nos illud in Pontifice admiramur: quòd non Senatum occupaverit, non Miniſtrum Regni egerit, ne quidem Epiſcopi in Patria penitùs gaudebat titulo: quod hæc omnia eſſe recuſaverit. Evehebant non dico Majorum merita, ſed dotes ipſæ pares maximis ad quæq; ſublimia, contempſit; in primo ætatis flore vix Sacris initiato Gneſnenſis Suffraganei deferebantur tituli, recuſavit; facile ſe obtrudebant faſces alii, ſprevit; ſuffecit in Regis venire conſpectum, vitabat. Rara hæc in felicitate ſumma animi moderatio! in eo uſq; adeò perfecta: ut non modò ab omni honorum ambitu longiſſime fuerit remotus (quod vitium magnis natalibus paſſim innaſcitur] verùm ne quidem curam, ut hîs potiretur, adjecerit (quod quis faciat? maximè ſi facilitate

ſumma

ſumma honor poſſit evenire quin rogatus etiam quod minime poſtulabat, accipere detrectavit. In qua ego tam excelſa Viri modeſtia, quid potius admirer? tantumne honorum contemptum? an quod rejectîs amplioribûs, minores admiſerit? Pulchriùs hoc certè quam ſi recuſaſſet omnes! illud ambitionis foret: faſtumq; majore faſtu calcare videretur (in quo Platoni Diogenes ſuccenſuit); moderationis erat minores eligere. Atq; cùm altiſſimā hanc animi demiſſionem de Pontifice noſtro prædicamus, multò magis prædicanda eſſet modeſtia illa unà cum humanitate conjuncta, qua non dico ſpernebat neminem, verùm ad omnes infimos etiā ſe demittebat; qua demum cum cæterîs multò alios præcelleret, privatos etiam antecelluit. Magnum id certè, potiſſimùm in fortuna maxima: cui ſolemne minores deſpicere, pares non agnoſcere, ſe majoribus de dignitate derogare. Multîs dicendum eſſet, cum honores innuimus: quâ Tribunalis Regni Præſidens effulſerit juſtitiâ, illud ſemper habens præ oculis, ne vel ſe Judicem condemnaret, cum reū abſolveret: vel ne calamô fieret homicida. Ut cauſas pro æquitate decideret, Patrem egit, & Judicē; temperabat pænas amore, & crimen puniebat non hominem. In hoc demum vidimus: ut ſapienter de evectis ad honores Philoſophus: fieri vix poſſe ſentiens, ut ii præclarè res agant, quibus facultates defuerint: ut graviter Solon cum leges conderet, Magiſtratus niſi divitibus deferri oportere judicavit. Sed iſta ſi pro rerum geſtarum magnitudine attolli deberent, nunquam terminum habitura eſſet oratio

Ad ampliſſimas facultates, quas Sapientum quis-

piam virtuti lidium quaſi lapidem propoſuit, veniamus. De quibus cum dicere conſtituo; nolim exiſtimetis: urbes, oppida, vicos, auri argentiq́; copiam enumeraturum, atq́; inde æſtimationem conciliaturum homini. Hæc poſſidere, virtutis non eſt: iſtîs non corrumpi, non depravari, non ad luxum hæc vertere, non his in faſtum attolli, ſed moderatè prudenter, modeſtè uti, hoc demum laudabile. Jā ita hæc accomodare uſui, ùt Pontifex noſter cæpit, atq́; in cæptis, niſi filum vitæ fata abrupiſſent, pergere fixum erat in animo: id demum, quæ tanta eloquentiæ vis eſſe poteſt, ut laudibûs queat exornare? Nam ut mittam: ut hic amabat pauperes, in quibus nihil præter DEUM amabile; ut divitē ſe illis putabat, non ſibi; ut quinquaginta & amplius mēdicis in dies ſacro jejunii tempore inſtruebat menſas, ne ſine DEO pranderet; & quod amplius eſt, ut præteream, profuſam illius in clauſtra, in Sacras ædes, in altaria munificentiam; illud etiam, reticendum nunquam, quod tibi Jlluſtriſſimum Kijovienſe Capitulum munus contulit: cum te inſigni à reliquis diſtingvi voluit, effecitq́;. Id certè haud poſſum prætermittere, quod nulla non ætate prædicabimus; quod grato ſemper animo recolemus, cujus, quam diu noſtra hæc durabit Religio, vigebit memoria: Societatem JESU ille Laſzczoviam introduxit, fundavit, erexit, locupletavit. Utinam ulteriorem huic vitæ curſum indulſiſſent Superi! qua majeſtate Baſilica, illius excitata munificentiâ jamq́; in altum deducta effulgeret! quibus aris, quo apparatu, quâ argenti ſplenderet copiâ! quæ Ædes, quod Collegiū, quā liberalitate auctum, ſurrectu-

rectu-

recturum erat! Grande id ad perennitatem nominis, quod urbem hanc Alexander Castellanus Czernensis à primis fundamentis excitaverit, unde qui olim TUCZAMPSCII, mutato nomine LASZCZII dicerentur: multò sanè gloriosiùs: DEO, non nomini; æternitati, non tempori; virtutis, non famæ monumenta ponere. Dum stabit hæc Ædes Sacra, dum aræ templo, dum aris sacrificium, dum suus Sacrificio, Religioni, pietati, manebit honor, tamdiu vivet LASZCZORUM nomen, tamdiu illius perennabit memoria, tam diu illud vectigalium quasi laudum honore debito posteritas omnis gloriosissimè prosequetur. Vos adextremum decernite! si dolor est Parentibus filios intueri, qui multa virtute congregatas opes in vitia verterint, labore acquisitas dissipaverint: quàm gratum id Majorib9, quod suam hic in Superos liberalitatem continuavit, virtutum perinde ac fortunarum hæres; & quæ ab illis acceperat, ita collocavit; ut nec gloriosius, nec sanctius collocare potuisset.

Atq; cum Antecessores hujus (spe meritorum persvasi] ad superna jam evocatos opinamur, quid illi ab ultimo hærede optare poterant impensiùs? quàm ut pietate vitæq; sanctimoniâ singularis effulgeret? At quid aliud nostra hæc loquitur Panegyris? exitu suo gloriosam LASZCZORUM Prosapiam locuti, nonne virtutem Pontificis, illamq; excelsam, inusitatam, admirabilem prædicavimus! Non in alio desinere hanc optabiliùs potuisse declaramus, quid præter merita amplissima recensuimus? Omnia complecti haud possunt paginæ. Vos domestici parietes, vos templa, vos sacraria

ut pietate erga Deum nihil habebat antiquius, quo ardore animi, qua ad fundendas preces frequentiâ, qua vultûs, manuum, totiuſq; corporis compoſitione, quo intuentium exemplo in Superos hic ferebatur, vos edicite! Quo in Divinam Parentem pectus affectu æſtuabat: ipſa hæc imago, ad quam infans vitam acceperat; hæc ipſa ab auro argentoq; ornamenta, quæ in illam cõgeſſit; hæc ipſa altaria, quam iſtis inſeruit; mors demum ipſa diſertè loquitur. Heu refugit cogitare animus, quo deflectit dictio! In mortem illius cogitando incidimus, qui, ſi virtutibus perennitatem in terris Superi decreviſſent, mori nunquam debuit. Accedite ad Paſtorem oves, populi ad Præſulem, & mori diſcite, à quo, ut immortalitatem mereamini, didiciſtis. An enim hunc mortis metus perculit? ceu ad vitam aſpirabat: An vitæ amor perturbavit? perinde hanc dimiſit, ac vincula exueret mancipium: an fortunarum Domûsq; pænituit? pridem iſta Deo conſecraverat. Duo ſolidi dies ab accepto mortis nuntiô in ſuſpiriis, piis affectibus, lacrymis effluxerunt. Hoc dignum cogitatione altiſſima! quod ut ad Virginis Dei Parentis imaginem à morte ad vitam eſt revocatus, ita in Virginis Purificatæ pervigilio, à vita hac mortali ad æternam translatus. Fortunata vere Proſapia, quæ talem acceperis! Nos miſeri, qui amiſimus! Cum tuum in Hoc penſamus exitum, in gratulationes erumpimus; cum noſtra damna expendimus, lacrymîs obruimur. Pulchrius interire non poteras, quàm cum tanta virtute conſecraris, cum in tanto ſubſiſtis Pontifice: affligi haud poteramus atrociùs; quam cum te eodem quo Præſulem ſepulchro condimus.

